

ELEGIA XI.

AD FRANCISCUM MARIAM ZANOTTUM.

TUne igitur Phœbi, & Musarum fama Zanotte,
 Et Tusco, & Latio carmine sensa potens,
 Aurea sensa tuæ solus depromere mentis,
 Sic, numquam ut rebus discrepet eloquium,
 Et pulchra in pulchris niteat sapientia verbis,
 (Auro gemma velut condita fulgidulo
 Nativam intendit lucem, & formosius ardet ;
 Ardentem cupidis nupta novella oculis
 Miraturque tuens, capitique imponere flavo,
 Aut collo rarum gestit habere decus)
 Tun' pateris, Tusco quæ sunt tibi condita versu,
 Me versu hoc veterum dicere Romulidum
 Conari, atque tuam prolem traducere veste
 Exutam, dives quam dederat genitor
 Regali fulgentem ostro ; pictamque figuris
 Omne genus, Nymphis prodigium Arniafin ?
 Quin mi etiani (mirum !) grates agis, ut bene de te
 Promerito, laudes laudibus accumulans
 Large, atque effuse ; quas quum , vir magne , legebam,
 Quamvis mulcebant gaudia blanda sinum ,
 (Nam quis , quem laudat , laudari nolit ab illo ?)
 Attamen heu totis erubuique genis ,
 Agnovique nihil meritum me tale , tuum sed
 Posse capi quovis pectus ab officio ;
 Teque itidem , ut sophia præstas , & carminis arte ,
 Præstare antiquis moribus , & facili
 Ingenio , quidquam nec rerum spernere posse
 Qualecumque , tuo quod facimus studio :